

QVAESTIONES DE CHRISTIFIDELIUM CONSOCIATIONIBUS NON SOLUTAE

SUMMARIUM: 1. Valor et sensus ecclesiales exercitii iuris associationis. 2. Distinctio consociationes publicas inter et privatas: ratione finium? difficultas ex ipsis conceptibus ex iure civili; bonum commune in Ecclesia et relatio ab bonum singuli; iuxta coetus revisionis CIC ad cann. 116 § 1 et 299 § 1, 301 § 3 ubi invocati sunt conceptus mandati, missionis in AA 20 et 24. Conclusiones summatim. 3. Agnitio vel probatio vel erectio ab auctoritate ecclesiastica et eiusdem vigilantia. 4. Facultas condidatos ad ordines sacros instituendi et clericos consociationi incardinandi. 5. Consociationes sic dictae oecumenicae. 6. Motus ecclesiales in quibus consilia evangelica assumuntur. 7. Conclusio.

Scopus huius expositionis non est tractare de omnibus quaestionibus non solutis circa christifidelium consociationes, sed nonnulla dicere de iis quae meo iudicio maiorem difficultatem in praxi ecclesiali faciunt.

1. Valor et sensus ecclesiales exercitii iuris associationis

Imprimis affirmandi sunt valor et sensus ecclesiales exercitii iuris associationis (c. 215), quorum negatio vel minutio insertionem pacificam christifidelium consociationum in vitam Ecclesiae, praesertim particularis vel localis, impedire potest et in praxi relationes inter ipsas consociationes et auctoritatem hierarchicam difficiles reddere.

IOANNES PAULUS II in n. 29 suae Adhortationis apostolicae *Christifideles laici* (= *ChL*) affirmabat:

«Ecclesialis communio, quae iam praesens est et operatur in singulorum actione, specifica nanciscitur sui expressionem quoties christifideles laici consociatim operantur, id est, in actione solidali quam exsequuntur vitae et missioni Ecclesiae ratione responsabili adhaerentes. [...] Loqui valemus de nova quadam aggregationum temperie apud christifideles laicos, quandoquidem "hodie iuxta traditas associationes, et saepe ex ipsarum radicibus orti, novi alii motus novaque germinant sodalitia, specie et scopo peculiaribus: tam grandis est thesaurus et multiformitas virium quas Spiritus in ecclesiali contextu alit, tam variarum quoque est ingenium tamque varia generositas nostrorum laicorum christifidelium ad novas res ineundas"»¹.

Haec visio rerum plene congruit cum doctrina Concilii Vaticani II, quae in eodem numero² Adhortationis a IOANNE PAULO II — postquam expressis verbis affirmat praeter motiva humana altio-rem ecclesiologicam haberi, quae christifidelium aggregationem probat et postulat — in memoriam revocatur. In AA 18a dicitur:

«Apostolatus consociatus ergo exigentiae christifidelium tam humanae quam christianae feliciter respondet simulque signum prae se fert communionis et unitatis Ecclesiae in Christo qui dixit: "Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum" (Mt. 18,20)».

Concilium apostolatus consociati rationem antropologicam et ecclesiologicam praebet. Quia homo natura sua socialis est, Deo placuit credentes in

¹ AAS 81 (1989) 443-444.

² Cf. *Ibid.* 445.

Christum in populum Dei et in unum corpus coadunare (AA 18a). Gratia non destruit, sed perficit naturam. Hoc modo variae formae consociativae sunt ut signum communionis ecclesialis, si tum intra tum extra seipsas in ampliore contextu communitatis christianae communionem actuant. Ex hac ratione antropologica simulque ecclesialogica iuxta IOANNEM PAULUM II fluit

«christifidelium [...] libertas sese consociandi, quod verum et proprium ius est, non a quadam auctoritatis "concessione" proveniens, sed quod ab ipso scatet Baptismo, cum id sit sacramentum quod christifideles laicos convocat ad active participandum in communione et missione Ecclesiae»³.

Ius sese libere consociandi in Ecclesia perficit vitam christianam et eius exercitium essentielle consideratur Ecclesiae vitae et missioni. Spiritus, enim, suscitatur nova charismata collectiva et sustinet nova apostolica incepta a christifidelibus inter se consociatis adimplenda. Hoc modo, ut Concilium proclamat,

«Spiritus Sanctus non tantum per sacramenta et ministeria populum Dei sanctificat et ducit eumque virtutibus ornat, sed [...] inter omnis ordinis fideles distribuit gratias quoque speciales, quibus illos aptos et promptos reddit ad suscipienda varia opera vel officia, pro renovatione et ampliore aedificatione Ecclesiae proficua» (LG 12b). «Iudicium de eorum (charismatum) genuinitate et ordinato exercitio ad eos pertinet, qui in Ecclesia praesunt, et quibus speciatim competit, non Spiritum extinguere, sed omnia probare et quod bonum est tenere» (LG 12b).

Quia agitur de iure vere ecclesiali, quod non tantum a iure naturali, sed etiam a baptismo proce-

³ Cf. *Ibid.*

dit cuiusque exercitium, sub impulsu Spiritus Sancti, est manifestatio naturae Ecclesiae ut communionis et actuatio participationis christifidelium in eius missione, omnes consociationes, quae in communione ecclesiastica fines spirituales de quibus in c. 298 § 1 prosequuntur per media cum iisdem finibus spiritualibus congruentia, ecclesialitatem habent, quae ab omnibus agnoscenda est⁴.

Qui nimis minuit ecclesialitatem iuris associationis doctrinam Vaticani II de apostolatu consociato et magisterium IOANNIS PAULI II de consociationibus laicalibus omnino ignorat. Ecclesia non consideratur ut communio organica charismatum, quae in Ecclesia locali Episcopus moderatur ut eorum exercitium, praesertim in activitate apostolica, ad bonum commune prosequendum cooperetur, servata, tamen, eorum natura propria et distinctione (LG 12b; 13c; AA 25b), sed potius videretur esse structura in qua, neglecta omni actione Spiritus qui nova charismata in Ecclesia assidue suscitatur, omnia a solo Episcopo procederent⁵.

⁴ In n. 30 Adh.ap. *Christifideles laici* criteria ecclesialitatis consociationum laicalium numerantur, quae, mutatis mutandis, ad omnes consociationes aptari possunt. Quae criteria in brevi sunt: a) adiumentum actioni vocationis cuiusvis christifidelis ad sanctitatem; b) responsabilitas confitendi fidem catholicam, ut ab Ecclesiae magisterio interpretatur et exponitur; c) testimonium communionis solidae atque bene acceptae cum Romano Pontifice et Episcopo, tum in eorum doctrina accipienda tum in eorum pastoralibus normis exsequendis; d) conformitas et participatio ad Ecclesiae finem apostolicum; e) praesentia in humana societate in servitium integrali hominis dignitati sub luce doctrinae socialis Ecclesiae (cf. *Ibid.*, 446-448).

⁵ H. LEGRAND («Un seul évêque par ville» - *Tensions autour de l'expression de la catholicité de l'Église locale depuis Vatican II*, ex manuscripto, pp. 16-18, expositionis in Colloquio Salmanticae

2. **Distinctio consociationem publicam inter et privatam**

In praxi Ecclesiae hodie prima difficultas exurgit quoad criteria adhibenda in decidendo utrum consociatio ut privata agnosci vel approbari debeat an potius ut publica erigi.

Multae consociationes ab auctoritate competenti (c. 312 § 1) petunt ut tamquam publicae erigantur, quia putant agnitionem vel probationem ut privatas suae ecclesialitatis minutionem secum ferre. Ex altera parte, auctoritas ecclesiastica erectioni consociationum ut publicarum non foveat, quia inclinatio est ad

diebus 2-8 aprilis habito) non tantum valorem et sensum ecclesiales iuris consociationis minuit, sed affirmare videretur hoc ius potius cum mente et moribus secularibus congruere quam cum natura comunionali Ecclesiae. Christifideles qui consociationes constituunt mentem saecularem assumerent et eam in vitam ecclesialem transferrent. Actuale incrementum phaenomeni vitae associativae eiusque liberae constitutionis a christifidelibus penderet a parvo progressu institutionum per quas iura communionis et Ecclesiae synodalitas exprimerentur, ut consilii presbyteralis, consilii pastoralis, synodi dioecesanae, provincialis et plenarii. Qua ratione incrementum exercitii iuris associationis indolem synodalem et catholicitatem Ecclesiae localis in periculum adduceret. Consociationes, enim, etsi nihil catholicitatis haberent, quae, e contra, institutorum synodaliu[m] dioecesanorum propria est, magnum influxum in vitam Ecclesiae localis haberent, qui influxus potius ut negativus videretur existimari. Catholicitas Ecclesiae localis, quae a Vaticano II affirmatur, in periculum amplius adduceretur si consociationes clerum proprium haberent, quia gubernium pastorale Ecclesiae localis difficile fieret. Clerici proprii alicuius consociationis non essent manifestatio communio[n]is catholicae localis, quia essent coetus Ecclesiae universalis, qui apud Ecclesiam universalem ipsam per organa dioecesana et episcopum non exprimerentur. Angusta dicenda videtur ecclesio-logia ex qua haec visio pendet.

comprehendendas sub hac specie solas consociationes quae fines sibi proponunt de quibus in c. 301 § 1: doctrinae christianae nomine Ecclesiae traditionem, cultus divini promotionem, aliorum finium prosecutionem natura sua auctoritati ecclesiasticae reservatorum. Quasi ignorari videtur § 2 eiusdem canonis, iuxta quam *«auctoritas ecclesiastica competens, si id expedire iudicaverit, christifidelium consociationes quoque erigere potest ad alios fines spirituales directe vel indirecte prosequendos, quorum consecutioni per privatorum incepta non satis provisum sit»*.

Haec difficultas surgit ex ipsa distinctione a Codice adhibita inter consociationes publicas et privatas, quia sumitur terminologia quae in iure civili viget et male aptatur ad Ecclesiae naturam et vitam.

Conceptus privati in mentem revocat id quod spectat ad bonum seu utilitatem singulorum individuum tantum; dum conceptus publici id quod ad bonum seu utilitatem totius communitatis. Translatio horum conceptuum in sphaeram ecclesiam effici potest ut privatum spectet ad bonum singulorum christifidelium, sine momento ecclesiali, dum publicum indicet bonum Ecclesiae⁶. Aptatio distinctionis

⁶ Optima expositio de publico et privato in iure civili et de difficultate aptationis horum conceptuum ad Ecclesiam, cf. P.A. BONNET, "Privato" e "pubblico" nell'identità delle associazioni dei fedeli disciplinate dal diritto ecclesiale, in AA.Vv., *Raccolta di scritti in memoria di Angelo Lener*, Napoli, 1989, 289-296; cf. etiam G. FELICIANI, *Il diritto di associazione e le possibilità della sua realizzazione nell'ordinamento canonico*, in AA.Vv., *L'elemento associativo nella Chiesa - Atti del VI° Congresso Internazionale di Diritto Canonico (München 14-19 sett. 1987)*, curantibus W. Aymans-K.T. Geringer-H. Schmitz, St. Ottilien, 397-400; J. MANZANARES, *Las asociaciones canónicas de fieles. Su regulación canónica*, in AA.Vv., *Asociaciones canónicas de fieles. Simposio de Salamanca (28-31 oct. 1986)*, Salamanca 1987, 115.

inter publicum et privatum ad consociationes ducere potest ad ambiguitatem quod sola consociatio publica indolem vere ecclesialem haberet, dum consociatio privata hac indole careret vel minimo gradu haberet.

Ad res elucidandas aliqua dicenda sunt de conceptu boni communis in Ecclesia et de eius relatione ad bonum singulorum. In ambitu civili saepe aliqua oppositio habetur inter utilitatem seu bonum collectivitatis et utilitatem seu bonum singuli. Necessario bonum singuli seu privatum subici debet bono collectivitatis seu publici, usque, aliquando, ad negationem primi in favorem alterius, ita ut bonum totalitatis, quod non est summa bonorum singulorum, bonum partium fiet. In Ecclesia, communione in fide et caritate inter omnes baptizatos, qui omnes Spiritum amoris receperunt et sub eiusdem impulsu tum ut singuli tum ut communitas ad salutem aeternam tendunt, vera oppositio inter bonum commune et bonum singuli dari non potest, immo sensum non habet.

Iuxta GS 26a bonum commune est medium ad personae humanae et variorum coetuum socialium perfectionem consequendam⁷. Arcta in hoc textu ponitur relatio inter bonum commune et bonum individuale, quia bonum commune consideratur valor (seu «utilitas») communis et simul condicio instrumentalis pro perfectione (seu «utilitate») singulae personae humanae et coetuum socialium. Mihi videtur rem profundius perscrutari posse sequentibus idaeis. Distinguimus inter bonum commune sensu anthropologico intellectum, complexum bonorum et valorum quae ad personam humanam natura sua

⁷ Bonum commune est «*summa eorum vitae socialis conditionum quae tum coetibus, tum singulis membris permittunt ut propriam perfectionem plenius atque expeditius consequantur*».

pertinent, et bonum commune externum, iuridicum, media ad ipsius personae humanae perfectionem prosequendam, ex gr. exercitium auctoritatis, leges, institutiones, etc., in quantum ea bona et valores protegent et promovent. Prosecutio bonorum et valorum ad personam humanam spectantium efficit perfectionem personae humanae, bonum scilicet singuli, et simul perfectionem societatis, bonum ideo commune. Tensio inter bonum commune et bonum singuli, etiam in ambitu societatis civilis, solvi potest tantum in relatione ad personam humanam, si haec fons et fundamentum valorum tum communium tum individualium consideratur.

Quia Ecclesia ut societas est signum praesentiae salutaris Christi in ea operantis, conceptus boni communis in Ecclesia meo iudicio considerari posset, servata certe quadam analogia, sub respectu theologico. Imo, bonum commune sensu iuridico intellectum abstrahere non potest ab hoc conceptu theologico. Principium boni tum communis tum singulorum in Ecclesia est ipse Christus, quia omnia bona Ecclesiae sunt dona Christi. In Ecclesia considerandum est bonum commune internum sensu theologico intellectum, quod est vita gratiae, communis scilicet participatio mysterii Christi in Ecclesia viventis, ideoque est participatio vitae Trinitatis, ut affirmabat PAULUS VI in sua allocutione diei 17 februarii anni 1973, participatio, igitur, vitae gratiae communionis cum Deo et fratribus per professionem fidei et sacramenta, in qua communione consistit salus animarum, id est ipsum bonum singulorum⁸. IOANES PAULUS II in sua allocu-

⁸ Cf. Allocutionem ad participes Congressus internationalis Iuris Canonici penes Universitatem Catholicam a S. Corde Medialani habiti, in *Comm.* 5 (1973) 126-27.

tione diei 26 februarii 1983 aliquo modo mentem PAUL VI complet cum definiat bonum commune ut actuationem communionis ecclesialis⁹. Ecclesia, iuxta IOANNEM PAULUM II, efficit communionem, cum dignitatem singulae personae agnoscat in libertate, quae, enim, vere in Christo invenitur et completur per experientiam communionis ecclesialis, quae est communio cum Trinitate. Ordo iuridicus ecclesialis tendit ad pacem in communione instituendam, quae pax est caritas¹⁰. Communio ecclesialis, enim, spiritualis simul ac visibilis aliquem ordinem iuridicum postulat, id est bonum commune externum, sensu iuridico definitum, ut complexum condicionum et institutorum iuridicorum, quae singulis christifidelibus et communitati ecclesiali realizationem propriam permittunt, id est ipsum bonum commune internum, quod est ipsa caritas Dei ab hominibus participata. Bonum commune externum inservit bono communi interno, cuius prosecutio in Ecclesia perficit personam humanam sub respectu tum naturali tum supernaturali et communitatem ecclesialem. Tamen bene intelligendum est multa media ad bonum commune internum prosequendum, ut institutiones ecclesiales ab ipso Christo volitae, id est de iure divino, determinantur ab ipso bono communi interno.

Ut videri potest oppositio inter bonum commune et bonum singulorum in Christo superatur, qui est

⁹ Cf. Allocutionem ad S.R. Rotae Tribunalis Praelatos Auditores, Officiales et Advocatos coram admissos habitam, in AAS 75/II (1983) 556-557.

¹⁰ Cf. Allocutionem iis qui Friburgi in Helvetia IV conventui internationali de Iure Canonico operam dederunt in aedibus Vaticanis coram admissis, 13 oct. 1980, in AAS 72 (1980) 1102-1103.

principium boni tum singuli tum totius communitatis ecclesialis. Omnes qui sunt Christi, ipsius vitae divinae, caritatis ideo divinae, participant et ad actionem communionis, quae est bonum simul singulorum et commune, tendunt. Tensiones inter bonum singuli et bonum commune dari possunt tantum in sphaera boni communis externi.

Ex dictis concluditur notiones boni communis et boni singuli simpliciter a iure civili sumi non posse. Idem dicendum est de conceptibus boni publici et boni privati, qui in notionibus boni communis et boni singuli nituntur. In Ecclesia publicum et privatum sunt duo aspectus unius realitatis, communionis, quae est simul cum Deo et fratribus. Dimensio individualis et dimensio communis mutue semper implicantur. Privatum vel publicum indicant tantum praepollentiam dimensionis individualis vel communis in aliqua manifestatione vel elemento institutionali vitae Ecclesiae. Hoc secum fert differentem interventionem auctoritatis ecclesiasticae¹¹.

In c. 116 § 1 distinctio inter personam iuridicam publicam et privatam habetur atque definitio duarum specierum personarum iuridicarum; in cc. 299 § 1 et 301 § 3 consociatio privata et publica definitur.

Ampla fuit discussio tum in coetu studii *de personis physicis et moralibus* tum in coetu studii *de christifidelium iuribus et associationibus deque laicis* circa naturam personarum iuridicarum et consociationum publicarum et privatarum necnon circa earum relationem ad Ecclesiam et hierarchiam. Hic non refero de hac discussione quia iam alii auctores hoc fecerunt.¹² Sufficit dicere in ipsis coetibus studii

¹¹ Cf. P.A. BONNET, *Privato» e «pubblico»...*, 292-296.

¹² Cf. auctores de quibus in nota n. 6; etiam P. GIULIANI, *La*

distinctionem non fuisse pacificam inter consultores, quia conceptus publici et privati in Ecclesia non erant clari.

In coetu *de personis physicis et moralibus* etsi videretur vincere sententiam iuxta quam personae iuridicae sunt publicae quae nomine auctoritatis ecclesiasticae agunt vi alicuius deputationis vel repraesentationis ipsius auctoritatis¹³, quaeque igitur ab eadem constituuntur ut intra certos fines nomine Ecclesiae agant, dum privatae non¹⁴, tamen in extremo adhuc dubia circa hanc sententiam moventur¹⁵.

Coetus *de christifidelium iuribus et associationibus deque laicis* exordium sui laboris sumit ex distinctione introducta a coetu *de personis physicis et moralibus* et ex doctrina ab eo expressa¹⁶ et primum affirmat identificationem inter formulam «nomine Ecclesiae

distinzione fra associazioni pubbliche e associazioni private dei fedeli nel nuovo Codice di Diritto Canonico, Roma 1986, 130-148.

¹³ Cf. *Comm.* 21 (1989) 126; 129-130; 142-146.

¹⁴ Cf. Praenotanda ad Schema canonum anni 1977, in *Comm.* 6 (1974) 99; 9 (1977) 241.

¹⁵ In Plenaria anno 1981 habita refertur dubium de convenientia introducendi distinctionem inter personas iuridicas publicas et privadas, quae, admissa in iure civili, minus fundatur in iure Ecclesiae; refertur etiam dubium circa formulam «agere nomine Ecclesiae», quia aestimatur non plane clara. Relator in responsione sua non dat rationes quae satisfaciant dubiis tendentibus ad distinctionem inter personas iuridicas publicas et privadas supprimendas; relator tantum affirmat animadversionem reici quia distinctio iam admittebatur ab auctoribus et merito habetur ut progressus scientiae canonicae; praeterea postquam in memoriam revocavit aliquo modo distinctionem profluere ex libertate associationis a Concilio Vaticano II clare asserta, affirmat distinctionem, ab organis consultationis denique probatam, suppressi non posse, uno tantum proponente (cf. *Comm.* 14, 1982, 143).

¹⁶ Cf. *Comm.* 18 (1986) 282-283.

agere» et formulam «nomine auctoritatis ecclesiasticae agere»¹⁷. Perspectiva evolvitur per discussionem de mandato vel missione ab auctoritate ecclesiastica consociationibus publicis collatis an non, et, ratione habita de oppositione quasi identificationi consociationum publicarum cum auctoritate ecclesiastica, quae haberetur per mandatum ab hac latum, in c. 313 Codicis promulgati iam non dicitur consociationem publicam mandatum ab auctoritate ecclesiastica recipere et fines proprios «nomine auctoritatis ecclesiasticae» persequi¹⁸, sed tantum missionem recipere et fines proprios «nomine Ecclesiae» persequi¹⁹. Mutatio canonis nititur in emendatione proposita ut verbum «missio» pacifice accipitur, quia omnes consociationes in missione Ecclesiae plus minusve participant²⁰. Ex hoc deduci potest missionem de qua agitur in c. 313 sensu missionis canonicae intelligendam non esse. Iam ab initio elaborationis canonis verbum «missio» a maiori parte consultorum sensu missionis canonicae non intelligebatur²¹.

Consultores in discussione circa canones de consociationibus publicis referebant ad doctrinam

¹⁷ Cf. *Comm.* 12 (1980) 94-95; 18 (1986) 285.

¹⁸ Canon 55 schematis anni 1970: «*Consociatio publica legitime erecta ipso erectionis decreto, ab auctoritate ecclesiastica mandatum et missionem, quatenus requiritur, recipit ad fines quos sibi proponit nomine ecclesiasticae auctoritatis persequendos*» (cf. *Comm.* 12, 1980, 107-108; 18, 1986, 297-298; 306-307).

¹⁹ Canon 313: «*Consociatio publica itemque consociationum publicarum foederatio, ipso decreto quo ab auctoritate ecclesiastica ad normam can. 312 competenti erigitur, persona iuridica constituitur et missionem recipit, quatenus requiritur, ad fines quos ipsas sibi nomine Ecclesiae persequendos proponit*».

²⁰ Cf. *Comm.* 12, 1980, 108.

²¹ Cf. *Comm.* 18 (1986) 297-298.

contentam in Decreto conciliari *Apostolicam actuositatem*²².

AA 20d tractat de Actione Catholica agenti sub superiore moderamine Hierarchiae, quae cooperationem cum suo apostolatu per explicitum mandatum sancire potest. PIUS XII mandatum et missionem canonicam idem considerabat ita ut duo verba indicarent subordinationem apostolatus laicorum apostolatu hierarchiae²³. Ex hoc pendebat quod ante Concilium mandatum Actionis Catholicae considerabatur deputatio laicorum ex parte hierarchiae apostolatus operibus, quae per se ad hierarchiam spectarent, ita ut eius nomine exerceantur²⁴.

In n. 24e agitur de mandato expressis verbis relate etiam ad consociationes, ubi dicitur:

«potest insuper ecclesiastica auctoritas, propter exigentias boni communis Ecclesiae, ex consociationibus et inceptis apostolicis immediate finem spirituales intendentibus, aliqua eligere et particulari modo promovere in quibus specialem assumit responsabilitatem. Ita Hierarchia, apostolatum iuxta adiuncta diversimode ordinans, aliquam eius formam cum suo proprio munere apostolico arctius coniungit, servata tamen utriusque propria natura et distinctione, nec proinde laicorum oblata necessaria facultate sua sponte agendi. Qui actus Hierarchiae in variis documentis ecclesiasticis mandatum appellatur» (sublineatio nostra).

In n. 24f agitur de missione potius relate ad laicos singulos, etsi non exclusive, ubi affirmatur:

²² Cf. *Comm.* 12 (1980) 108; 18 (1986) 306.

²³ Cf. Allocutionem die 5 oct. 1957 prolatam iis qui interfuerunt Conventui alteri catholicorum ex universo orbe, pro laicorum apostolatu, Romae habito, in *AAS* 49, 1957, 924.

²⁴ Cf. R. DEELEY, *The mandate for those who teach theology in institutes of higher studies - An interpretation of the meaning of canon 812 of the Code of Canon Law*, Romae 1986, 28.

«Deinde Hierarchia laicis munia quaedam committit, quae propius cum officiis pastorum coniuncta sunt, ut in propositione doctrinae christianae, in quibusdam actibus liturgicis, in cura animarum. Vi huius missionis laicis quoad muneris exercitium subduntur superiori ecclesiasticae moderationi» (sublineatio nostra).

Animadvertendum est in AA 24: 1) inter mandatum et missionem fit distinctio; 2) verbum «mandatum» modo generaliori quam in AA 20d sumitur; 3) verbum «missio» adhibetur, non «missio canonica».

Iuxta AA 24e per mandatum auctoritas hierarchica iuridice declarat laicorum peculiarem apostolatatum in communione cum Ecclesia exerceri et propter bonum commune specialem responsabilitatem erga eum se habere. Etsi auctoritas ecclesiastica erga hunc apostolatatum vigilantiam exercent, tamen pergit esse apostolatus laicorum et non fit apostolatus hierarchiae. Laici singuli vel consociati, qui mandatum recipiunt, neque nomine auctoritatis ecclesiasticae neque nomine Ecclesiae agunt, quia considerandi non sunt ad modum procuratorum auctoritatis vel Ecclesiae, sed agunt nomine proprio. Hierarchia, enim, apostolatatum laicorum cum suo proprio munere apostolico arctius tantum coniungit, servata tamen utriusque propria natura et distinctione. Mandatum indicat arctam relationem statutam inter auctoritatem ecclesiasticam et laicos propter bonum commune Ecclesiae.

Missio, e contra, iuxta AA 24f confertur ut laici munia de regula ad hierarchiam spectantia exercent. Qua re laici qui haec munia recipiunt auctoritati subduntur ligamine maiori quam in casu mandati. Tamen, consulto commissio conciliaris omisit verba «quae canonica appellatur», ne intraret in res

disputatas²⁵.

Animadvertendum est in c. 313 affirmatur consociationem publicam missionem recipere, *quatenus requiritur*, ad fines quos ipsa sibi nomine Ecclesiae persequendos proponit. Qui fines sane statuuntur in c. 301 § 1: doctrinam christianam nomine Ecclesiae tradere; cultum publicum promovere; alios fines intendere, quorum prosecutio natura sua auctoritati ecclesiasticae reservantur, ut ex. gr. institutionem clericorum. Sunt fines qui ad mentem revocant eos qui elenchantur in AA 24f. Tamen consociatio publica etiam alios fines prosequitur. Canon 301 § 2, enim, statuit:

«Auctoritas ecclesiastica competens, si id expedire iudicaverit, christifidelium consociationes quoque erigere potest ad alios fines spirituales directe vel indirecte prosequendos, quorum consecutioni per privatorum incepta non satis provisum sit».

Auctoritas ecclesiastica, igitur, potest etiam erigere consociationes publicas quae prosequuntur fines qui per se spectant ad christifideles in genere. Hoc auctoritas ecclesiastica facit ad bonum commune tuendum et promovendum, id est si in consociatione manifestatur modo praepollenti dimensio communis unius realitatis communionis. Qua ratione auctoritatis interventio non tantum iustificatur sed exigitur.

Ut iam ab initio commissio Codici Iuris Canonici recognoscendo affirmabat, distinctio inter associationes publicas et privatas per se non determinatur ratione finium sed ratione interventionis auctoritatis ecclesiasticae in momento constitutionis et ratione

²⁵ Cf. *Ibid.* 15-55, praesertim 49; 51-55.

dependentiae²⁶. Tamen fines quos consociatio intendit sine momento non sunt, quia fines enumerati in c. 301 § 1 erectionem consociationis ut publicae ab auctoritate ecclesiastica requirunt, et alii fines vel media a consociatione adhibita ad auctoritatis ecclesiasticae interventum ad normam c. 301 § 2 inducunt ne haec fines et media ad privatorum incepta, conventionem et responsabilitatem tantum relinquuntur. Quia hoc in altero casu agitur de finibus quorum prosecutio per se ad auctoritatem ecclesiasticam non spectat, legitime quaeri potest utrum missio de qua in c. 313 requiratur. Clara, enim, non patet significatio incisi «*quatenus requiritur*», quod in hoc canone continetur.

Can. 301 § 2, ubi dicit auctoritatem ecclesiasticam consociationes erigere posse ad fines spirituales prosequendos «*quorum consecutioni per privatorum incepta non satis provisum sit*», denuo libertatem exercitii iuris se consociandi christifidelium affirmat, sed canonem interpretari non possumus eo sensu quod inceprix associationis esse debet auctoritas ecclesiastica, quia in fere omnibus casibus consociatio initium suum habet per privatorum incepta, etiam cum agatur de finibus in c. 301 § 1 enumerati²⁷.

²⁶ Cf. *Comm.* 18 (1986) 386.

²⁷ Cf. G. FELICIANI, *Il diritto di associazione...*, 401-406.

In Codice Canonum Ecclesiarum Orientalium (= CCEO) non invenitur distinctio inter personas iuridicas publicas et privatas ut in c. 116 § 1 CIC, sed considerantur tantum personae iuridicae constitutae in finem missioni Ecclesiae congruentem aut ex ipso iure praescripto aut ex speciali concessione auctoritatis competentis ecclesiasticae per decretum data (c. 921 § 1 CCEO). Commissio in iure communi omnibus Ecclesiis orientalibus distinctionem consulto omittit et eam iuri particulari relinquit;

Concludendo quoad CIC sequentia affirmari possunt.

1. Omnes consociationes, tum privatae tum publicae, quae in communione ecclesiastica fines spirituales prosequeuntur per media cum iisdem finibus

omittit etiam notiones boni publici et actionis nomine Ecclesiae (cf. *Nuntia* 13, 1981, 5; 18, 1984, 11-12).

Praeterea in CCEO agitur tantum de consociationibus in genere et pauci canones de iis dantur ut principium subsidiarietatis actuetur (cf. *Nuntia* 5, 1977, 45; 13, 1981, 91). In CCEO aliter ac in CIC est publica non tantum consociatio ab auctoritate ecclesiastica erecta sed etiam consociatio ab eadem per decretum approbata; in utroque casu consociatio est persona iuridica in Ecclesia (c. 573 § 1 CCEO). Nihil dicitur de missione ad fines consociationis publicae prosequendos, ut in c. 313 CIC. Fines consociationis publicae erectae numerati in c. 574 CCEO sunt iidem ac fines consociationis publicae iuxta c. 301 § 1 CIC. Qua re consociationes publicae erectae ad normam c. 574 CCEO respondent consociationibus publicis de quibus in c. 301 § 1 CIC, dum consociationes publicae per decretum approbatae respondent consociationibus de quibus in c. 301 § 2 CIC, cuius pauca claritas formulationis in CCEO vitatur. Quoad consociationes privatas tantum enuntiatur eas ab auctoritate ecclesiastica laudari vel commendari posse et ab ipsa non agnosci, nisi earum statuta recognoscantur; de cetero reguntur tantummodo iure particulari, salvo c. 577 § 1 iuxta quem subesse debent vigilantiae auctoritatis ecclesiasticae (c. 573 § 2). Consociatio privata non est persona iuridica in Ecclesia. Hoc congruit cum eo quod in CCEO non statuitur distinctio inter personas iuridicas privatas et publicas (cf. *Nuntia* 21, 1985, 27). Coetus studii multum non disceptavit de distinctione inter publicum et privatum, potius vitavit problema. CCEO etiam notiones boni publici et missionis omnino vitat; c. 574, suam faciens formulationem c. 301 § 1, tantum affimat traditionem doctrinae christianae a consociatione publica erecta esse nomine Ecclesiae. In hoc contextu clare patet formulam «*nomine Ecclesiae*» non significare nomine auctoritatis ecclesiasticae, quia iam coetus studii Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo confusionem cum functione propria magisterii excludebat (cf. *Comm.* 12, 1980, 94-95).

spiritualibus congruentia, ecclesialitatem habent, ut iam diximus in initio huius scripti et clarius patebit ex sequentibus.

2. Activitas privata vel finis privatus in Ecclesia aspectum individualem communionis cum Deo et aliis potius manifestant, tamen non tendunt ad hoc bonum ut subiectivum vel singulare tantum intellectum, quia in Ecclesia bonum singuli semper in bonum communitatis redundat. Activitas publica vel finis publicus, e contra, aspectum communem eiusdem realitatis communionis manifestant et eorum prosecutio in sua dimensione communitaria, tamen numquam bonum singulorum negant, immo id promovent.

3. Consociatio, constituta per conventionem christifidelium est privata (c. 299 § 1) et sub auctoritatis ecclesiasticae vigilantia (c. 305), nomine suipsius vel singulorum membrorum, modo congruenti cum Ecclesiae missione et finibus, agit. Tamen vario gradu auctoritas ecclesiastica intervenit in vitam consociationum privatarum, ratione finium vel influxus pastoralis.

Consociatio privata, post recognitionem statutorum qua declaratur in iisdem nihil contra doctrinam, disciplinam et morum integritatem inveniri, per actum auctoritatis ecclesiasticae in ambitu ordinis canonici agnoscitur et de eius autenticitate christiana auctoritas testatur (c. 299 § 3).

Auctoritas ecclesiastica per actum probationis maiorem firmitatem statutis conferre potest et consociationem privatam per decretum formalem in personam iuridicam privatam erigere potest (c. 322)²⁸. Consociatio privata in personam iuridicam erectam

²⁸ Cf. G. FELICIANI, *Il diritto di associazione...*, 406-412.

subiectum obligationum et iurium constituitur, ita ut effectus iuridici suorum actuum ad ipsam consociationem referantur et repraesentantes eius nomine agant. Tamen huiusmodi activitas consociationis privata manet, eo sensu quod immediae et directe Ecclesiae responsabilitatem non implicat. Activitas, e contra, consociationis privatae uti iuridicae personae non constitutae, ad singula membra refertur, etsi coniunctim considerata, quia ad fines communes prosequendos proprias vires uniunt (cf. c. 310)²⁹.

Per laudem vel commendationem auctoritas ecclesiastica modo peculiari consociationem effert (c. 299 § 2). Per assignationem formalem nominis «catholicae» maiorem auctoritatem erga fideles consociatio obtinet (c. 300)³⁰.

Hae variae species consociationum privatarum vario gradu earum ecclesialitatem externe manifestant, quam notam ecclesialitatis tamen habent, etsi tantum cum minimo momento canonico, etiam consociationes quae ab auctoritate ecclesiastica agnitionem non petiverunt, quia pariter propter exercitium iuris consociationis existunt, quod ius intrinsece indolem ecclesialem habet.

4. Consociatio publica, ab auctoritate ecclesiastica erecta (c. 301), non tantum sub eiusdem vigilantia (c. 305) sed etiam altiore directione (c. 315), nomine Ecclesiae intuitu boni communis agit eo sensu quod, missione quatenus requiritur recepta, per activitatem suam ipsam Ecclesiam repraesentat, quae per auctoritatem ecclesiasticam activitatem personae iuridicae publicae spondet (cc. 116, § 1; 313). Consociatio

²⁹ Cf. meum librum *Il diritto nella Chiesa mistero di comunione - Compendio di diritto ecclesiale*, Cinisello Balsamo/Roma, 1990, 236-238.

³⁰ Cf. G. FELICIANI., *Il diritto di associazione...*, 415.

publica tum ratione finium tum ratione momenti actionis pastoralis magis manifestat ecclesialitatem iuris consociandi, maxime si ab auctoritate ecclesiastica nomen «catholicae» ab eadem modo formali obtinet.

Meo iudicio, ad normam c. 301 § 2, semper erigi deberent ut publicae consociationes in quibus membra consilia evangelica profitentur, quia professio consiliorum evangelicorum non tantum ad sanctitatem singulorum membrorum consociationis spectat sed ad sanctitatem totius Ecclesiae adque eiusdem salvificam missionem (cf. cc. 573; 574). Pariter auctoritas ecclesiastica, ad normam c. 301 § 2, pervenire deberet ad erectionem ut publicas consociationes quarum influxus pastoralis in vita Ecclesiae magni ponderis fit, praesertim per exercitium ministerii sacri. In die magis magisque motus ecclesiales crescunt, qui per totam Ecclesiam multa opera apostolica habent et seminaria propria dirigunt ad proprios clericos efformandos secundum proprium charisma; multi sunt motus ecclesiales in quibus alia membra consilia evangelica aliquo vinculo etiam sacro perpetue assumunt alia ministerium sacrum in servitium Ecclesiae universae vel Ecclesiarum particularium vel eiusdem motus exercent. Has realitates auctoritas ecclesiastica suo interventu confirmare deberet, quia in iis immediate vita totius Ecclesiae implicatur et manifestatur dimensio potius communis quam individualis communionis.

3. Agnitio vel probatio vel erectio ab auctoritate ecclesiastica et eiusdem vigilantia

Sunt Episcopi qui, ratione distinctionis consociationes privatas inter et publicas, putant post promul-

gationem CIC 1983 oportere ut supprimant consociationes sub regimine CIC 1917 commendatas vel approbatas vel erectas ut eas rursus agnoscant vel probent vel erigant iuxta normas novi Codicis.

Non oportet ut consociationes vel commendatae vel approbatae vel erectae sub regimine CIC 1917 nunc ab auctoritate ecclesiastica supprimantur ut, denuo ab eadem agnoscantur vel probentur vel erigantur, quia consociationes pergunt sub novo regimine iuxta naturam propriam.

Consociationes quae sub regimine CIC 1917 commendatae sunt (cf. c. 684 CIC 1917) et «laicales» appellabantur, iuxta c. 299 privatae considerandae sunt.

Etiam consociationes quae sub regimine CIC 1917 ab auctoritate ecclesiastica tantum approbatae sunt (cf. c. 686 CIC 1917) et «ecclesiasticae» appellabantur, iuxta cc. 299 § 1 et 322 considerandae sunt privatae, quia per decretum ab auctoritate ecclesiastica in personam iuridicam erectae non sunt (cf. c. 687 CIC 1917).

Solae consociationes olim «ecclesiasticae» appellatae, quae sub regimine CIC 1917 ab auctoritate ecclesiastica per formale decretum in personam iuridicam erectae sunt (cf. cc. 686; 687), iuxta c. 301 considerandae sunt publicae.

Nonnullis consociationibus iam agnitis vel probatis vel erectis ab uno Episcopo, aliquando, ab Episcopo alterius dioecesis in qua activitati suae initium dare volunt imponitur novus actus agnitionis vel probationis vel erectionis³¹. Imprimis repetiti actus a variis

³¹ Cf. J. BEYER, *De motu ecclesiali quaesita et dubia*, in *Periodica* 78 (1989) 444-445.

Episcopis magnam confusionem gignunt, quia eadem consociatio aliquando ab aliis ut privata agnoscitur vel probatur dum ab aliis ut publica erigitur. Praeterea novus actus ab aliis Episcopis non requiritur, quia actus unius Episcopi pro tota Ecclesia valet et pro omnibus Episcopis. Episcopus, qui agnoscit vel probat vel erigit consociationem ut Episcopus Ecclesiae particularis et simul Ecclesiae universalis agit, in quantum membrum Episcoporum Collegii. Ad normam c. 312 § 2 ut consociatio publica sectionem in dioecesi erigat, tantum requiritur consensus scriptus Episcopi; si Episcopus impedire velit activitatem alicuius consociationis consensum suum deneget. Consociationi privatae, etiam in personam iuridicam erectae, nihil requiritur; etsi peropportunum sit ut consociatio privata agnita vel probata Episcopum certiore faciat de suo proposito, tamen Episcopus impedire non potest constitutionis eius sectionis in sua dioecesi.

Ut consociatio ab aliquo Episcopo agnita vel probata vel erecta a S. Sede agnoscatur vel probeatur vel erigatur non requiritur ut antea a variis Episcoporum Conferentiis in quibus agit agnoscatur vel probeatur vel erigatur. Iuxta c. 312 § 1, 2^o Episcoporum Conferentia competens est tantum pro consociationibus nationalibus, quae scilicet destinantur ad actionem in tota natione exercendam et non ad actionem universalem. Consociatio iuris dioecesani quae in multis dioecesibus sub impulsu Spiritus per universam Ecclesiam expanditur, immediate a S. Sede agnosci vel probari vel erigi potest sine intermissione Episcoporum Conferentiae. Testimonium de consociationis ecclesialitate ad Episcopos in quorum dioecesi consociatio agit spectat, quia hi eam immediate cognoscunt; praesertim Episcoporum Conferentia numerosa prudens iudicium de hoc ferre nequit, quia forsitan multi

Episcopi numquam relationem cum consociatione statuerunt. Testimonium dicere potest tantum qui erga consociationem exercet vigilantiam de integritate fidei ac morum deque absentia in disciplina abusu³². In c. 305 § 2, praeter vigilantiam generalem Sanctae Sedis erga omnes consociationes, vigilantia Ordinarii loci statuitur erga consociationes dioecanas necnon alias consociationes, quatenus in dioecesi operam exercent. A coetu studii consulto excluditur vigilantia ab Episcoporum Conferentia, quae admitteretur in schemate 1977³³. Oppositio vigilantiae Episcoporum Conferentiae ab aliquibus consultoribus habetur, primum quia ea esset contra naturam Episcoporum Conferentiae, quae organum consultationis pastoralis et non gubernii est, deinde quia inutilis burocratia constitueretur³⁴.

³² Cf. *Ibid.* 440-441.

³³ Can 44 § 1 schematis 1977: «*Vigilantiae et regimini unius Sanctae Sedis subsunt consociationes de iure universales atque consociationum foederationes universales; Episcoporum Conferentiarum in quarum territorio exsistunt, consociationes internationales quae de iure ad certas regiones ecclesiasticas limitantur; Episcoporum Conferentiae regionis, consociationes regionales; loci ordinario, consociationes dioecanas necnon, iuxta statuta uniuscuiusque consociationis, sectiones dioecanae consociationum universalium, regionalium vel interdioecesanarum.*»

³⁴ His rationibus textus canonis mutatur in formam ut in c. 305, § 1 iacet (cf. *Comm.* 12, 1980, 97-100). In Plenaria 1981 Relator refert petitionem unius patris ut in c. 679 § 2 schematis 1980 adiungeretur verba «... *vigilantiae Conferentiae Episcopalis si ab ipsa constitutae fuerint...*»; Relator respondebat: «*Animadversio recipienda non videtur, quia vigilantia est actus administrativus qui non competit Conferentiae: hac via tendentia foveretur constituendi aliquam "Curiam nationalem", quae quidem non censetur opportuna.*» (cf. *Comm.* 15, 1983, 84).

4. Facultas candidatos ad ordines sacros instituendi et clericos consociationi incardinandi

Hodie plures motus ecclesiales multos candidatos ad ordines sacros habent. Candidati, membra alicuius motus ecclesialis, qui in seminario dioecesano vel interdioecesano cum aliis seminaristis vivunt, tendunt ad coetum peculiarem in ipso seminario constituendum, cum aliquo damno unitatis communitatis seminarii alumnorum. Ut hoc vitetur et charisma proprium melius servetur, candidati in seminario ipsius motus ab aliquo Episcopo dioecesano erecto instituuntur. Seminarium huius generis sub responsabilitate et vigilantia Ordinarii loci manet. Haec solutio videtur esse optima tum pro seminario dioecesano vel interdioecesano tum pro motu ecclesiali.

Codex non permittit clericorum incardinationem alicui consociationi; incardinatio, igitur, ab aliquo Episcopo benevolo suae dioecesi fit, sed — inita, ad normam statutorum approbatorum, conventionem cum moderatoribus motus — in servitium ipsius motus. Difficultas exsurgit si, mutato Episcopo dioecesano, novus Episcopus erga motum non benevolus rationem non habeat de conventionem inita inter decessorem suum et motum, ita ut de clericis suae dioecesi incardinatis libere disponere velit, cum damno tum vitae personalis clericorum tum ipsius servitii motus ecclesialis in dioecesi, quod servitium verum et efficax esse potest tantum si congruit cum motus charismate proprio.

Quindecim societates missionariae clericales sine votis, nisae in n. 86 Const. ap. *Regimini Ecclesiae universae* quae competentiam de eis Congregationi pro Gentium evangelizatione tribuebat³⁵, petiverant

³⁵ Cf. AAS 59 (1967) 917.

ut in novo Codice statutum iuridicum distinctum ab eo Institutorum vitae consecratae haberent³⁶; ideo in schemate 1977 iam permittebatur incardinatio Societati hac facultate ab Apostolica Sede donatae, tum sub capite de incardinatione (c. 120 § 1), tum sub capite de christifidelium consociationibus (c. 58)³⁷. Quoad c. 691 schematis 1980³⁸ in Plenaria 1981 Relator affirmabat rationem huius canonis non amplius haberi, quia redactus est ut provideretur necessitatibus exoptatisque societatum missionariarum cleri saecularis, quae propter earum charisma fundamentale

³⁶ Cf. *Comm.* 18 (1986) 382-384. Iuxta coetum studii dependentia ab uno alterove S. Sedis Dicasterio a natura concreta consociationis determinaretur: consociatio clericalis a Congregatione pro clericis; laicalis a Pontificio Consilio pro laicis, dummodo hoc Dicasterium opportunis facultatibus donaretur; consociatio erecta in Praelaturam personalem a Congregatione pro Episcopis; societas missionaria a Congregatione pro gentium evangelizatione (cf. *Ibid.*, 388).

³⁷ Can. 120 § 1 schematis 1977: «*Quemlibet clericum oportet esse adscriptum aut alicui Ecclesiae particulari aut Praelaturae personali aut alicui Instituto vitae consecratae vel Societati hac facultate ab Apostolica Sede donatae, ita ut clerici acephali seu vagi non admittantur*» (cf. *Comm.* 14, 1982, 63).

Can. 58 schematis 1977: «§ 1. *Consociationes seu Societates clericales publicae, quae sint iuris pontificii, ab Apostolica Sede facultate donari possunt sibi clericos adscribendi, ad normam iuris.* § 2. *Quae iure statuuntur praescripta de officiis et iuribus facultatibusque Moderatorum Institutorum vitae consecratae, Moderatoribus quoque consociationum de quibus in § 1 applicanda sunt*» (cf. *Comm.* 12, 1980, 109). Animadvertendum est c. 58 § 1 admisisse incardinationem solis consociationibus clericalibus publicis iuris pontificii, non vero laicalibus.

³⁸ Can. 691 § 1 schematis 1980: «*Consociationes seu societates clericales a Sancta Sede erectae aut per formale decretum ab ea approbatae tantummodo potestatem habent sibi clericos incardinandi si haec facultas ipsi a sede Apostolica decreto speciali concessa fuerit*» (Cf. *Comm.* 12, 1980, 112).

nolebant recenseri inter instituta vitae consecratae, quaeque, sub nomine societatum vitae apostolicae, in ultima redactione Codicis proprium locum habent ab institutis vitae consecrate diversum. Relator admittebat, si aliqua societas missionaria adhuc inter societates vitae apostolicae locum habere nequeat, Sanctam Sedem providere posse per normam iuris particularis, id est per privilegium³⁹.

CCEO in c. 579 sub titulo de christifidelium consociationibus et in c. 357 § 1 sub capite de clericorum adscriptione permittit ut clericus ascribatur consociationi ex speciali concessione data a Sede Apostolica vel, si agatur de consociatione patriarchali vel metropolitana de qua in c. 575 § 1, 2^o, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis⁴⁰. In primo schemate nulla mentio fit de consociationibus facultate incardinandi gaudentibus, sed tantum de societatibus cum promissione perpetua agitur (cf. c. 560 § 2 CCEO promulgati); in altero schemate 1976 de societatibus in genere mentio fit⁴¹; in schemate anni 1986 agitur

³⁹ Cf. *Comm.* 15 (1983) 86.

⁴⁰ Can. 579: «Nulla consociatio christifidelium propria membra ut clericos sibi ascribere potest nisi ex speciali concessione a Sede Apostolica vel, si de consociatione, de qua in c. 575, § 1, n. 2, agitur, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis data».

Can. 357 § 1: «Quilibet clericus debet esse ut clericus ascriptus aut alicui eparchiae aut exarchiae aut instituto religioso aut societati vitae communis ad instar religiosorum aut instituto vel consociationi, quae ius clericos sibi ascribendi adepta sunt a Sede Apostolica vel infra fines territorii Ecclesiae, cui praeest, a Patriarcha de consensu Synodi permanentis».

⁴¹ Can. § 1 de clericis sessionis 8-9 nov. 1976: «Quilibet clericus debet esse qua clericus adscriptus aut alicui Eparchiae vel Monasterio sui iuris vel religioni vel societati quae sive a Sancta Sede sive a Suprema cuiusque Ecclesiae particularis Auctoritate clericos adscribendi facultatem adepta est».

etiam de consociationibus et cc. 575 et 355 § 1 sunt iidem ac cc. 579 et 357 § 1 CCEO promulgati⁴². Statuitio de incardinatione consociationi sine discussione et pacifice introducitur.

Qui opponuntur incardinationi alicui consociationi putant concessionem huius facultatis esse contra constitutionem Ecclesiae, contra auctoritatem Episcopi et eius libertatem atque responsabilitatem erga sacramentorum administrationem, nuntium verbi Dei et actionem pastorem⁴³. Hae rationes valde debiles dicendae, quia iuxta hunc modum ratiocinandi etiam

Can. 3 § 3 eiusdem sessionis: «*Quae in § 2 praescribuntur applicantur quoque Societatibus cum promissione perpetua, facultate sibi clericorum adscribendi gaudentibus*».

Can. 3 § 2: «*Monasterio sui iuris ceterisque Religionibus cum votis perpetuis adscriptio clerici fit ipsa diaconali ordinatione vel, in casu clerici alicui eparchiae iam adscripti, professione perpetua*» (cf. *Nuntia* 7, 1978, 7-8; 9).

Can. 1 § 1 mutatur in c. 42 § 1 schematis 1976: «*Quilibet clericus debet esse qua clericus adscriptus aut alicui Eparchiae vel Monasterio sui iuris vel Instituto vitae consecratae aut Societati quae sive a Sancta Sede sive a superiore cuiusque Ecclesiae sui iuris Auctoritate clericos adscribendi facultatem adepta est*».

Disparet § 3 c. 3 et § 2 mutatur in c. 44 schematis 1976: «*Monasterio sui iuris ceterisque Institutis vitae consecratae, exceptis Institutis saecularibus nisi et ipsi facultate sibi clericos adscribendi gaudent, adscriptio clerici fit ipsa diaconali ordinatione vel, in casu clericus alicuius Eparchiae adscripti, professione vel cooptatione definitiva*» (cf. *Nuntia* 13, 1981, 103). A coetu studii rationes de his mutationibus textus canonum non dantur.

⁴² Cf. *Nuntia* 20 (1985) 96; 24-25 (1987) 109; 69. Coetus studii rationes non dat de ultima mutatione canonis qua possibilitatem incardinationis consociationi introducitur (cf. *Nuntia* 20, 1985, 96).

⁴³ Hoc modo duo consultores, de quibus unus nomine unius Episcoporum Conferentiae, sententiam suam exprimebant (cf. *Comm.* 12, 1980, 109). Ut vidimus, radicalior etiam est ratio a H. LEGRAND (cf. nota n. 5) allata.

instituta religiosa facultate incardinandi gaudere non deberent, cum damno pastoralis et apostolici totius Ecclesiae. Angusta visio ecclesiologicala concipit actionem pastorem, apostolicam et missionariam tantum in relatione ad sacerdotes dioecesanos territorio incardinatos⁴⁴. Natura ipsa Ecclesiae efficit ut vita Ecclesiae non exprimitur tantum ab Ecclesia particulari sed etiam ab Ecclesia universa. Ecclesia enim particularis intelligitur tantum in relatione ad Ecclesiam universam ad cuius imaginem formatur (LG 23a). Propter varietatem carismatum vita Ecclesiae non exprimitur a solis laicis et clericis dioecesanis, sed etiam ab institutis vitae consecratae, quorum membra ministerium sacrum assumunt vel non. Membra institutorum vitae consecratae specialiter a Deo vocantur, ut in vita Ecclesiae dono peculiari fruuntur et, secundum eiusdem finem et spiritum instituti, Ecclesiae missioni salvificae prosint (c. 574 § 2). Eo quod proprium charismatis vitae consecratae est nota universalitatis, membra horum institutorum missioni salvificae Ecclesiae prosunt in servitio tum Ecclesiae universae tum Ecclesiae particularis. Si Ecclesia consideratur tamquam communio, bonum Ecclesiae universae redundat in bonum Ecclesiarum particularium et vice versa. Ecclesia catholica universalis, enim, in Ecclesiis particularibus et ex iis existit (LG 23a; c. 368) ita ut sit communio inter Ecclesias. Hoc efficit ut catholicitas uniuscuiusque Ecclesiae particularis plene realizetur tantum si Ecclesia particularis est in communione cum aliis Ecclesiis particularibus, cuius communionis centrum est Romanus Pontifex,

⁴⁴ Cf. Ita sententiam suam exprimebat Relator coetus studii de consociationibus (cf. *Comm.* 12, 1980, 110).

Episcopus Ecclesiae romanae⁴⁵. Consociationes, et praesertim motus ecclesiales, in quibus consilia evangelica profitentur, etsi naturam distinctam habeant, tamen multae ex earum notis propriis sunt eadem ac institutorum vitae consecratae, ut universalitas et charisma collectivum, quod ab omnibus fideliter servandum est.

Si charisma alicuius consociationis vel motus ecclesialis notam dioecesanitatis habeat, incardinatio Ecclesiae particularis melius exprimit ligamen cum ordinario loci et ab eo dependentia, praesertim in activitate pastoralis. E contra, consociatio vel motus ecclesialis cuius charisma universalitatem et activitatem missionalem ut notas proprias habet, quae agnoscitur et comprobatur per erectionem in consociationem publicam a S. Sede, obtinere deberent facultatem incardinandi proprios clericos propter melius servitium apostolicum et missionarium in favorem totius Ecclesiae Christi, tum universae tum particularis⁴⁶. Hoc S. Sedes iam fecit pro uno motu ecclesiali. Haec praxis iam admittebatur a Relatore in

⁴⁵ In allocutione ad Patres conciliares die 14 sept. 1964 habita cum tertia Oecumenicae Synodi Sessio initium caperet, PAULUS VI dicebat: «*Alio quoque argumento has catholici Episcopatus laudes confirmare placet, ut manifesto pateat quantum eius dignitati, quantum eius caritati prosint haec hierarchica communionis vincula, quae Episcopos cum Apostolica Sede coniungunt; scilicet Sede Apostolica vobis indiget, Venerabiles Fratres! Etenim quemadmodum vobis, varias terrarum orbis partes incolentibus, ut veram Ecclesiae notam catholicam efficiatis atque ostendatis, necessarium omnino est centrum et principium unitatis fidei et communionis, quod in hac Petri Cathedra habetis [...]*» (cf. AAS 56, 1964, 813).

⁴⁶ Cf. J. BEYER, *Motus ecclesiales*, in *Periodica* 75 (1986) 632-633.

Plenaria 1981⁴⁷, et a CCEO ab eadem Suprema Auctoritate promulgato sustinetur. Alii sacerdotes alicui dioecesi ascripti motus ecclesialis cooperatores esse possunt.

5. Consociationes sic dictae oecumenicae

Adh. ap. *Christifideles laici*, in n 31 dicit: «*Ad Pontificium Consilium pro Laicis autem munus delatum est [...] definendi, cum Pontificio Consilio ad Unitatem Christianorum Fovendam, quibus conditionibus approbari possit consociatio oecumenica cuius maior pars membrorum catholica est, minor autem pars acatholica, et in quibus casibus iudicium positivum dari potest*»⁴⁸.

Nomen «consociatio oecumenica» ambiguum est, quia ad differentes species consociationum aptari potest.

Consociatio oecumenica appellari potest consociatio interconfessionalis membris variorum confessionum religiosarum constituta, quae iisdem iuribus gaudent et iisdem obligationibus tenentur. Huiusmodi consociatio auctoritati ecclesiasticae catholicae non subest, quia non est consociatio in Ecclesia catholica. Catholici propter exercitium iuris liberae consociationis esse possunt membra huiusmodi consociationis. Coetus catholicus exprimere poterit communionem suam cum Ecclesia catholica per aliquod ligamen plus minusve institutionale cum auctoritate ecclesiastica locali.

Si consociatio, privata vel publica, a catholicis constituitur ut in aliquo motu oecumenico intercon-

⁴⁷ Cf. nota n. 39.

⁴⁸ Cf. ASS 81 (1989) 449.

fessionali partem habeat, auctoritati ecclesiasticae subest. In quantum agitur de christifidelium consociatione, habetur competentia generalis, ratione materiae, Pontificii Consilii pro Laicis, quod, tamen, iuxta Const. ap. *Pastor Bonus*, art. 21 § 1⁴⁹, agere debet simul cum Pontificio Consilio ad Unitatem Christianorum fovendam, quod competentia ratione finis gaudet.

Numerus 31 Adh.ap. *Christifideles laici* videtur referri ad consociationes quae, ad normam earum statutorum, baptizatos acatholicos admittunt et petunt earum agnitionem vel probationem tamquam privatarum vel earum erectionem tamquam publicarum in Ecclesia Catholica.

Ex Adhortatione duo eruimus:

a) non agitur de consociationibus in quibus admittuntur non baptizati, quia hii in quantum non sunt membra Ecclesiae Christi membra consociationis ecclesialis esse non possunt;

b) si baptizati acatholici fierent maior numerus, consociatio oecumenica naturam suam mutaret et in consociationem interconfessionalem evolveret cum consecrariis iuridicis.

Codex nihil dicit de admissione baptizatorum acatholicorum ut membrorum consociationis sive privatae sive publicae.

Primo adscriptio acatholicorum admittitur consociationi tum privatae tum publicae, si, ad iudicium auctoritatis ecclesiasticae, hoc fieri potest sine detrimento actionis consociationis propriae aut periculo catholicorum fidei⁵⁰. Non desunt qui periculosum

⁴⁹ Cf. AAS 80 (1988) 865.

⁵⁰ Can. 46, § 3 schematis 1977: «*Non-catholici adscribi possunt christifidelium consociationibus, nisi iudicio auctoritatis de qua in c. 44, § 2 id fieri non possit sine detrimento actionis*

considerant admittere ut membra pleno iure cum voto deliberativo acatholicos, quia ius in gubernio consociationis participandi haberent et, si maior numerus fierent, statuta mutare possent. His rationibus canon mutatur ita ut acatholici solis consociationibus privatis adscribi possint⁵¹. Hic canon adhuc invenitur in schemate 1982⁵², sed in Codice promulgato disparet.

Uti videtur silentium Codicis⁵³ et rationes allatae a coetu studii, iuxta mentem legislatoris, interpretari licet eo sensu quod, ad normam statutorum ab auctoritate ecclesiastica approbatorum, adscribi possunt membra acatholica non pleno iure, quin scilicet iisdem iuribus gaudeant et iisdem obligationibus teneantur ac membra catholica. Haec interpretatio mentis

consociationi propriae aut exinde oriatur periculum ne catholicorum fides in discrimen vocetur» (Comm. 12, 1980, 100-101; 16, 1986, 290).

⁵¹ Can. 681 § 4 schematis 1980: «*Non-catholici christifidelium consociationibus publicis adscribi non possunt; consociationibus vero privatis ne adscribantur nisi iudicio auctoritatis competentis id fieri possit sine detrimento actionis associationis propriae et nullum oriatur periculum» (Comm. 12, 1980, 100-101; 15, 1983, 84-85).*

⁵² Can. 307 § 4 schematis 1982: «*Non-catholici christifidelium consociationibus publicis adscribi non possunt; consociationibus vero privatis ne adscribantur nisi iudicio Ordinarii, id fieri possit sine detrimento actionis associationis propriae et nullum oriatur scandalum» (Comm. 15, 1983, 85).*

⁵³ Quoad CCEO, primo adscriptio consociationi tum privatae tum publicae admittitur (cf. can. 7 schematis 1976, in *Nuntia* 5, 1977, 46), postea, iam anno 1980, canon qui de hoc agebat deletur, quia admissio acatholicorum videtur non congruere imprimis cum eo quod consociatio publica est persona iuridica in Ecclesia et ideo cum obligatione membrorum omnis speciei consociationis fidei integritatem servandi; coetus studii, tamen, ratione oecumenismi non putat necessario expressis verbis admissionem prohibere (cf. *Nuntia* 13, 1981, 91; 21, 1985, 32-33).

canonis confirmari videtur ab Adh. ap. *Christifideles laici* ubi agitur de consociationibus in quibus etiam acatholici membra considerantur.

Acatholici regerentur statuto peculiari, approbato ad normam statutorum generalium consociationis; numquam gubernare poterunt consociationem. Mihi videtur acatholicos in conventibus tantum cum voto consultivo participare posse, dum, si coetum peculiarem intra consociationem efformant, acatholicos ut moderatores huius coetus nominari licere. Peropportuno esset consiliarium spiritualem (c. 324 § 2) vel cappellanum seu assistentem ecclesiasticum (c. 317 § 1) coetus acatholicorum ministrum acatholicum esse.

In consociationibus vel motibus ecclesialibus in quibus sunt membra quae consilia evangelica aliquo vinculo assumunt, meo iudicio, acatholici tantum privatim emittere possunt promissionem vel votum castitatis, paupertatis et obodientiae, cuius contentum in statuto peculiari determinadum est. Promissio vel votum emittenda sunt sub condicione, ita ut si acatholicus consociationem vel motum relinquit obligationes a promissione vel voto ortae cessent. Hoc modo non implicatur auctoritas vel minister catholici in dissolutione vinculi conscientiae. Oboedientia esset tantum relate ad observantiam statutorum generalium consociationis, in eo quod fidei acatholici non opponatur, et statutorum peculiarium.

6. Motus ecclesiales in quibus consilia evangelica assumuntur

Non pauci sunt motus ecclesiales in quibus coetus membrorum consilia evangelica aliquo vinculo publice expresso assumit.

Quaestio ponitur utrum hi motus considerandi sint nova forma vitae consecratae, et ut talis agnoscendi vel probandi vel erigendi sint, an non. Quaestio quae sequitur est utrum sint sub competentia Congregationis pro Institutis Vitae Consecratae et Societatibus Vitae Apostolicae an Pontificii Consilii pro Laicis.

Proprium motus ecclesialis est unitas in varietate categoriarum personarum; eius unitas, igitur, servanda et tuenda est. Unitas frangeretur, si varii coetus personarum qui motus efformant singillatim agnoscerentur vel approberentur vel erigerentur: alter ut institutum religiosum, alter ut institutum saeculare, alter ut societas vitae apostolicae, alter ut praelatura personalis, alter ut tertius ordo, alter ut consociatio privata vel publica. Hodie in genere motus agnoscuntur vel probantur ut christifidelium consociationes privatae vel eriguntur ut publicae et sub competentia Pontificii Consilii pro Laicis sunt. Hoc modo unitas servatur, sed ratione varietatis categoriae personarum multae materiae sunt mixtae competentiae, quae, igitur, ad varia Dicasteria Romana spectant: consilia evangelica, ad Congregationem pro Institutis Vitae Consecratae et Societatibus Vitae Apostolicae; seminaria, si motus ea habeat, ad Congregationem de Institutione Catholica; clerici, ad Congregationem pro Clericis; laici coniugati, ad Pontificium Consilium pro Familia; baptizati acatholici, ad Pontificium Consilium ad Unitatem Christianorum Fovendam; si motus relationem habet cum non baptizatis vel cum non credentibus ad Pontificium Consilium pro Dialogo inter Religiones vel ad Pontificium Consilium pro Dialogo cum non Credentibus, etc. Problemata mixtae materiae ad normam art. 21 § 1 Const. ap. *Pastor Bonus* a variis Dicasteriis simul examinanda sunt vel

ad normam § 2 eiusdem articuli ubi opus fuerit commissiones interdicasteriales permanentes opportune constitui possent⁵⁴.

Nuper Congregatio pro Institutis Vitae Consecratae et Societatibus Vitae Apostolicae ad normam c. 605 permisit ut Cardinalis Matritensis «Opus Ecclesiae», anno 1963 fundatum, ut «Familiam ecclesialem» iuris dioecesani agnosceret⁵⁵. Opus Ecclesiae est motus ecclesialis qui sacerdotibus, viris et mulieribus, laicis cuiuscumque aetatis, status et condicionis, componitur. Opus tribus ramis consecratorum consistit, sacerdotum, laicorum et laicarum, quoad regimen internum inter se independentibus cum propriis moderatoribus; adiungitur coetus aliorum laicorum sic dictorum «Militantium», virorum et mulierum, coniugatorum vel non, seniorum, iuvenum, adolescentium et puerorum. Constitutiones Operis regulant varios ramos, coetus, sectiones, gradus, secundum varias categorias personarum et omnes ab uno moderatore vel una moderatrice, nunc a fundatrice, pendent. Omnes in eodem charismate, in eadem doctrina spirituali et missione apostolica diverso modo participant iuxta vocationem propriam. Sacerdotes et laici in variis activitatibus apostolicis Operis coniunctim agunt. Meo iudicio ut consecrati considerari possunt tantum qui consilia evangelica aliquo vinculo publico assumunt et tres ramos consecratorum constituunt (c. 573), dum alii, «Militantes» appellati, tertius ordo vel aliquid simile viderentur constituere (c. 303). Iuxta art. 111 Const.ap. *Pastor Bonus* competens pro Tertiis ordinibus est Congregatio pro Institutis Vitae

⁵⁴ Cf. AAS 80 (1988) 865.

⁵⁵ Cf. *L'Osservatore Romano*, 16 novembre 1990.

Consecratae et Societatibus Vitae Apostolicae⁵⁶. Novitas huius formae vitae consecratae consistere videretur in eo quod consecrati simul cum sacerdotibus et laicis non consecratis in communitate vivunt et in apostolatu agunt.

Animadvertendum est motus qui naturam et notas similes habent secundum differentes figuras iuridicas et formas vitae hodie agnosci vel approbari vel erigi, unum ut familiam vitae consecratae alios ut consociationes. Unus a Congregatione pro Institutis Vitae Consecratae et Societatibus Vitae Apostolicae alii a Pontificio Consilio pro Laicis pendent. Hoc monstrat defectum unius legislationis de motibus ecclesialibus.

7. Conclusio

Concludendo, propter multa problemata quae ex vita consociationum et praesertim motuum ecclesialium surgunt, meo iudicio valde optandum est documentum Supremae Auctoritatis, quod normas generales ferat ut quaestiones fundamentales tum sub respectu doctrinali tum sub respectu disciplinari aliquam lucem vel solutionem recipere possint.

GIANFRANCO GHIRLANDA S.J.

⁵⁶ Cf. AAS 80 (1988) 888.